DISSERTATIO JURIDICA, De

LEGE MOR-GANATICA,

Quam,
Annuente Divino Numine,
PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,

JCTO FAMIGERATISSIMO,
SERENISSIMI ac POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI CONSILIARIO, FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO & PROF. PRIMARIO,
Antea
SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI, & COLLEGII REVISORII ASSESSORE, IN ACADEM. HEIDELBERGENSI DECRET. PAND. & JUR. GENT. P. P. ORDIN. MERITISSIMO,

Domino & Mecœnate omni obſervantia Colendo,

Publicæ ventilatione ſubmittit
IN AUDITORIO JCTORUM
A. & R.
LEVINUS CHRISTIANUS Wilthuedt/
Berolin. March.

Ad D. X. Auguſt. Anno MDC XCV.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

Digitized by Google

Digitized by Google

SECTIO I.
PRÆLIMINARIA CONTINENS.

SUMMARIA.

1. *JUſtitiæ vis & utilitas.* 2. 3. *Romanos ejus ſcientiâ ac ſtudio omnes gentes ſuperâſſe.* 4. *Comparatio antiquarum Germaniæ legum.* 5. *Germani olim legum ſuarum obſervantiſſimi.* 6. *Tranſitus ad legem Morganaticam.*

§. I.

INter omnia media, quæ ad ſocietatis conſervationem ſpectant, meritò primum locum obtinet Juſtitia, cujus tanta vis eſt tantaque neceſſitas, ut ſine ea res omnis humana in præcipiti poſita, perdendis verò regnis & evertendis nihil proclivius eſſe videatur juſtitiæ neglectu vel ab uſu: adeò ut ſine hoc juris & juſtitiæ tramite imperia nihil eſſe quàm magna latrocinia & Prudentibus ſemper perſvaſum & nihil unquam verius dictum fuerit. A ſolo enim hoc fine unicè diſcernuntur cœtus civium & latronum, quòd illi juris tuendi, hi verò lædendi & criminis fruendi causâ ſint ſocietati, quanquam nec hos ipſos ex raptu viventes ſine jure eſſe, vel eſſe poſſe videmus: Grot. *d. J. B. & P. lib. 3. c. 3. §. 2.* Ita Cic. *lib. 2. de offic.* tantam ait juſtitiæ vim eſſe ut nec ii quidem, qui ſcelere ac maleficio paſcuntur,

Digitized by Google

ſine ulla particula juſtitiæ vivere poſſint. Ut adeò firmiſſimum ſocietatis fundamentum, & certiſſimum ſubditorum concordiæ firmamentum leges ſint atque juſtitia, eâque inter gentes integrâ, nullum bellum; fractâ, nihil pacis eſſe poſſit, nec ulla felicitas ſeculi, niſi in pœnam.

§. II. Cùm vero nulla gens ſit, quæ non ſuis legibus utatur, & apud omnes ferè populos ſapientiſſimi ac prudentiſſimi viri legibus optimis ac utiliſſimis pro ſalute reipubl. conſtituendis ſtudium omne impenderint; nullis tamen meliùs ac felicius hæc res ſucceſſit quàm Romanis, quorum condendi juris gloria adeo æternitatem merita fuit, ut quemadmodum Judæis religio, Græcis ſapientia, ſic Romanis juſtitia ceu propria attribuatur, eorumque ſinguli ad has diſciplinas peculiariter excolendas divinitus propè ſelecti videantur.

§. III. Romani itaque ut abſolutam juris doctrinam conſequerentur, ſtudium ſuum non urbis ſed orbis finibus terminarunt, &, ſi quod aliarum gentium laudabile inſtitutum videretur, id tantâ operâ conquiſiverunt, ut vix ulla reſpublica eſſet, cujus inſtituta moresq; non cognoſcerent. Sic exactiſſimam juris notitiam uſumq; conſecuti Græcos omnesq; gentes hoc ſtudio facilè & longè ſuperârunt, ſoliq; omnium populorum fuerunt qui inventis poſitisq; univerſalib9 juris principiis, quicquid inter reges quoq; populosque controverſiæ litisq; eſſet, non arbitraria fortuitaq; ſed certa deductaque ratione deciderent. Neque enim id ſolum egerunt, ut de parte aliqua reip. optimas leges conderent, quod Græci præclarè quidem fecerant, ſed ut de univerſa juris materia, in ſingulis ſingula ponderando, & cùm momenta reip. ſuæ tum civium con-

Digitized by Google

conditionem penſando, juſta temperie certam diſciplinam ſtatuerent.

§. IV. Germani verò antiquâ armorum gloriâ Romanis pares; juris juſtitiæque ſtudio ac religione propè ſuperiores; at ſcientiâ peritiaq; ejus impares fuêre; &, ſi quis excutiat antiquas leges Germaniæ, Salicas, Ripurarias, Alemañicas, Bojoarias, Saxonicas, Longobardicas &c. nihil ille niſi imperfectam quandam congeriem apud iſtas gentes fuiſſe reperiet: quippe quæ paucis iisque ſatis jejunis & malè cohærentibus legibus uſæ, id maxime egerunt, ut de ſervis, nuptiis, ſucceſsionibus, delictis &c. certi quid, ac in delictis præcipuis certa pœna ſtatuta eſſet.

§. V. In quibus etſi parum ſæpe proportionis fuerit, & nonnunquam lenitate nimia, interdum verò ſeveritate peccaverint; tamen & aliæ quoque leges plurimæ in rep. utilisſimæ latæ ſunt, & inprimis laudandum eſt, quod hujus ſui juris qualiſcunque adeò obſervantes tenacesque fuerint, ut ſine ullo rerum aut temporum diſcrimine priſcis legibus inhæſerint; & pluribus ſeculis novæ quidem leges additæ, at nullæ mutatæ appareant, adeò ut antiquisſima illa cum medii ævi juribus, ſpeculis ſcil. Suevico & Saxonico, ſatis conveniant.

§. VI. Inter has antiquas leges Germaniæ fuit quoque lex Morganatica, ſed cujus vix alibi apparet mentio, quàm in *2. F. 29.* ubi in ea fundatur nobilisſima materia de conjugio Morganatico & inæquali, quam pro inſtituto nunc breviter tractabimus.

SECTIO II.
DE
LEGE MORGANATICA IN GENERE.

SUMMARIA.

1. DE verbo, Morganatica; an detortum ex Morgengabica. 2. Nihil minus dici poſſe. 3. Et cur? 4. 5. Verior origo nominis. Morgen Sprach *quid? 6. Oſtenditur id eſſe decretum curiæ vel publicum. 7. Et legem Morganaticam ſignificatu idem ac Salicam. 8. Conjectura de verbo* Morgan.

§. I.

CUm legis Morganaticæ mentio rarisſimè occurrat, ſolliciti fuere Doctores, quis ejus ſenſus, quæve origo eſſet: & cùm obſcura & barbara vox ſit ſuſpecta eſſe cœpit, adeò, ut omnes propè crediderint corruptam eam eſſe ab autoribus feudorum, & ignorantiâ ſermonis *Morganaticam* dici pro *Morgengabica*, & hanc Longobardicam vocem detortam eſſe ex Teutonica Morgengabe. Ita D. Strauch. *de Jur. Publ. tit. 32. §. 5* Grot. *de J.B. & P. lib. 2. c. 7. §. 8.* Struv. *in Syntagm. Jur. Feud. lib. 9. §. 4.* Rittershuſ. *in Partition. Jur. Feud. lib. 1. cap. 11. lib. 2. cap. 3. n. 3.* & plures alii.

§. II. Verùm enim verò ſalvo cuiq; judicio ſuo nullam minùs quàm hanc ſententiam probandam credimus, & quamvis potius explicandi rationem admittimus, quàm iſtam, quâ ſtatuitur vocem Morgengabæ Longobardis adeò incognitam fuiſſe, ut illi errore linguæ pro Morgengabica lege Morganaticâ dixerint.

§. III. Nam contrà, nomen Morgengabæ nemini notius ac familiarius fuit quàm Longobardis, & nullis legibus uſitatius ac tritius quàm Longobardicis: quippe expreſſa illa vox eſt in *l. 1. tit. 9. leg. 2. lib. 2. tit. 1. leg. 4. & leg. 8.* (ubi & explicatur.) *d. lib. 2. tit. 4. leg. 1 & 4. tit. 12. leg. 1. tit. 14. leg. 15.* Ut adeò certum ſit, Longobardos nec eſſe deceptos, nec potuiſſe decipi errore verbi ſibi familiariſſimi, & quaſi vernaculi. Et quis ergò credat

eos

os vocem Morgengabicæ, ſibi notisſimam ac tritisſimam, imperitiâ linguæ mutâſſe & detorſiſſe in ignoim ac barbaram Morganaticæ?

§. IV. Alia itaque indubiè nominis ratio eſt, &, t omisſis aliis conjecturis, ſententiam noſtram de ocis hujus ſenſu atque origine, ſalvo omnium judicio, aucis aperiamus, arbitramur, legem Morganaticam lem eſſe quod hodieque in urbibus inferioris Geraniæ, ceu antiquis Longobardorum & Suevorum :dibus, dicitur Morgenſprach: nam cum conſtet Geranis legem ſeu decretum dici ein Spruch/ vox Morenſprach/ erit *Morganaticum Decretum*; decretum auem ſpecies legis eſt, *§. 6. Inſt. de J. N. G. & Civ.*

§. V. Remanſit verò vox illa in conventibus & ollegiis Opificum, quæ dicuntur Morgenſprach/ & ui iis è Magiſtratu præſident, Morgenſprachs-Heren. Quæ appellatio uſitata eſt Coloniæ Agrippinæ, remæ, Lubecæ, & in aliis vicinis urbibus, ubi Svei ſeu Longobardi (qui Feudorum autores & è Suevorum populis erant) ſedes ſuas olim habuere: ſcilicet erſus littora Borealia & Rhenum.

§. VI. Hoc evidens eſt ex Gylmann. *Symphorem. om. 1. part. 1. tit. 3. fol. 161.* in ſupplic. auf den Religionsrieden in cauſa civium Colonienſium contra Burgeeiſter und Rath der Stadt Cöllen / ubi hæc verba: Jedoch ſolchem allen entgegen/ haben Bürgemeiſter nd Rath der Stadt Cöllen nechſt verſchienen 87ſten Jahres den 6. April. ein NB. öffentlich Edict, oder/ wie ie es nennen/ ein Morgenſprach publiciren/ und daran allen Bürgern und Einwohnern daſelbſt öffentich und bey hohen ſchweren beſtimmten Pœnen gebieen laſſen &c. En quàm apertè asſeratur Edictum publicum ibi dici ein Morgenſprach/ ſeu *Morganati-*

cum

cum Edictum: Et mox in *fin. d. Supplic.* hæc habentur; Darinnen Ihnen ſampt und ſonders gebothen werde/ NB. angedeutete Morgenſprach wieder auffzuheben/ uñ ſich gleichmäßigen Gebiethens und Verbiethens zu enthalten. Idem apparet ex Statutis Lubecenſibus *part. 4. tit. 13. art. 3.* Die Ämte in dieſer Stadt/ und da Lübiſch Recht gehalten wird/ wann dieſelbige wollen Morgenſprach halten zu dieſer Stadt und ihres Ampts beſten/ denen ſollen die Wette-Herren jederzeit beywohnen/ &c. So iſt Ihnen auch damit über die ordentliche Morgenſprach keine andere zu halten/ welche der Stad zuwieder ſeyn &c. Ein jeder in 3. Rthlr. Straffe genommen/ und darzu der Morgenſprach verluſtig/ und des Ampts frey ſeyn. Atque ita Mev. *ad. d. art. 3. n. 19. Appellatur*, ait, *iſte conventus Ordinarius*, die ordentliche Morgẽſprach/ *quia conſuetum fuit eos quotannis ordinarie convenire.* Bremæ quoq; rem vocemq; hanc uſitatisſimã eſſe certũ eſt.

§. VII. Confirmatur hoc maxime ex *2. F. 29. ibi: Mediolanenſes dicunt ad Morganaticam, alibi lege Salica.* Ergo apud Longobardos lex Morganatica idem eſt quod alibi (ſcilicet apud Francos) lex Salica. Siquidem vox Sala, Saal/ itidem ſignificat conventum: nam Sala, palatium, curia, unum idemq; ſunt locus ſcilicet ubi conventus publici fiunt, & pro ipſo quoque conventu accipiuntur, ut vulgò notum eſt. Itaque hoc modo Morganaticum & Salicum ſignificatione quoque conveniunt, & lex Morganatica vel Salica eſt lex publicè ſeu in publico conventu ac curia vel ſaala edita: uti in pluribus adhuc prædictarum terrarum locis.

§. VIII. Unde autem vox *Morgan*, à Germanis olim pro conventu publico accepta ſit, vix veſtigia ſuperſunt, neque in re tam antiqua tantoque ſilentio certi quid definimus. Licebit tamen aliquam qualemcunq;

Digitized by Google

cunque conjecturam offerre. Videtur ſcilic. vox Morgan ſignificaſſe terram ſeu locum communem aut publicum, à nomine *gan*, quod eſt commune ſeu publicum, ut in verbo Gan-Erben/id eſt gemeine Erben/ per *Ord. Cam. part. 2. tit. 13.* verb. zu der Gemeinſchafft/ & verbis; die gemeine Erben. *Wurmſ. Exerc. 8. quæſt. 9.* Terra autem videtur olim Germanis quandoque dicta Mor/ uti in prædictis locis adhuc quædam terræ communes dicuntur die Möre. Cambden. *in Britann. p. 170.* ait: *Et Britannis* (qui in quibusdam vocibus antiquum uſum Germaniæ incorruptiùs quam ipſi Germani ſervant) Marga (ſeu Morga) *genus terræ, qui agros luerunt, denotavit.* Et *pag. 22. Quæ apud Plinium latinis terra adeps, Gallis* Marga/ *Britannis* Marle. Quin & agera t[illegible]arum adhuc nobis Morgen dici, omnibus notum eſt. Conſtat verò Germanos olim conventus publicos in campis & ſine dubio in locis publicis habuiſſe.

§. IX. Cæterùm etſi de ſenſu legis Morganaticæ, quem expoſuimus, nulli dubitemus, tamen quod de voce Morgen diximus pro mera ſaltem conjectura habebimus, aliam vero propriorem lubentes admiſſuri.

SECTIO III.

DE

CONJUGIO ÆQUALI ET INÆQUALI IN GENERE.

SUMMARIA.

Conjugia æqualia. Talia ſuâ naturâ eſſe. 2. Fœminæ dignitatem in Rep. à Viris cur habeant. 3. Filii patris illuſtris matre minùs nobili nati ſuccedunt patri. 4. Etiam Feudis Regalibus. 5. Utuntur illuſtrium privilegiis ac in... nibus. 6. Nec non jure primogenituræ. 7. An & benefi-

ciis

riis eccleſiaſticis & ludis Equeſtribus? 8. *Mater juribus Viduarum illuſtrium.* 9. 10. *Removentur dubia.* 11. *Limitatio.* 12. *Num hodie Principis Uxor minùs nobilis dignitate mariti fruatur.* 13. *Num contrà, Plebeji uxor illuſtris ſuam amittat?* 14. *Diſquiritur de ſenſu* l. 1. C. de Dignit. 15. *Et de uſu Imperii.* 16. *Num vidua mariti illuſtris dignitatem magis amittat plebejo deinde nupta quàm filia patris?* 17. *An maritus aliquando ſequatur dignitatem uxoris?*

§. I.

INitio itaque de æqualibus Conjugiis diſpiciamus oportet, quibus prætermiſſis inæqualia rectè intelligi nequeunt. Eſt verò conjugium æquale, quo uxor ſequitur dignitatem mariti; idque propter individuam vitæ ſocietatem, ac divini humanique juris communicationem *l. 1. ff. de rit. nupt.* Cum itaque regulariter & ex ipſa natura conjugii uxor nubendo Viri dignitatem ſortiatur *l. 8. ff. de Senat. l 13. C. de dignit. Nov. 22. c. 36. &c.* prima certiſſimaque regula eſt: Conjugia ſua natura eſſe æqualia, etſi diſpari conditione perſonæ ea contraxerint.

§. II. Ita enim comparatum eſt in vita civili, ut maritus quidem ſeu paterfamilias dignitates reipublicæ ſuſtineat, at familia tamen ejus, ſcil. uxor & liberi, uti de toto jure civitatis, ita & de dignitate participent. Neceſſe enim eſt, ut fœmine, cùm per ſe nullam habeant, ſequantur vel retineant familiam maſculorum, eorumque adeò forum, domicilium, dignitatem & omnia deniq; jura civitatis. Eſt itaq; ex ipſa ratione & natura conjugii, ut fœmina nubendo ſequatur dignitatem mariti eoque conjugia ſint æqualia. *ſupra §. 1.* Ita Udalricus, Dux Bohemiæ, cùm ruſtici filiam duceret, diſſvadentibus reſpondit: *ſe una nocte effecturum, ut quæ heri virgo ruſtica fuerit, eadem cras fieret Princeps, quoniam*

Principis

Digitized by Google

rincipis uxor eâdem gauderet cum marito dignitate. Du-
av. Hiſt. Boh. lib. 7. princ.

§. III. Unde plurima ducuntur conſectaria, uti (1) uòd filii patris illuſtris, matre nobili vel plebeja nati, ıccedant Patri in principatu ac dignitatibus, æquè ac x illuſtri nati: nam & patrem æquè ſequuntur. *per §. 2.* juris naturalis eſt ut liberi legitimi ſuccedant patri. *Tov. 18. præf. & cap. 2.* Myler. *Gamol. cap. 5. §. 19. & ſeqq. & 61. & ſeqq.* Hoc jus quoque gentes ſuo conſenſu con- :mant. Hinc Plutarchus *de amore prolis* dicit: *liberis beri hæreditatem ex naturæ debito;* perinde uti Impera- ır in alleg. *Nov. 18.* Et Valerius Maximus *lib. 5. cap. 9. 2.* de Hortenſio tradit: *quod & impiiſſimus filius ipſi ſuc- ſſerit, ne ordo naturæ confunderetur.* Ita Davidi & Salo- oni, etſi regum filias uxores quoque haberent, ſucceſ- re tamen ex plebejis nati. *1. Reg. 2. verſ. 28. & ſeqq. & p. 14. in fin.* Sic in conſultatione de Succeſſore Ale- andri M. pars filio ipſius Herculi, ex Barſine vili fœ- ina nato competere regnum ſtatuebat, Juſtin. *lib. 13. 3.* quem etiam Caſſander, ideo quòd metueret eum egem fore, occidit Juſt. *lib. 15. c. 20.* Nec obſtitit ei, quod atre plebeja, ſed quod captâ & ſervâ, quin concubinâ agis quàm uxore natus, eòque non legitimus eſſet. ed & actu ſucceſſit Alexandro M. Aridæus ex viliſſi- a fœmina Lariſſæa natus. Juſt. *lib. 13. c. 2.* Filius præ- cti Udalrici ex ruſtica fœmina natus patri in Principa- Boëmiæ ſucceſſit, & filiam Ottonis Imperatoris du- it Dubrav. *lib. 7.* Æn. Sylv. *Hiſt. Boh. lib. 18.* Alia e- empla apud *Heinric. Salmuth. de Matrimon. Princ. cum rg. nob. quæſt. 1. Rat. dec. 6.* Myler. *Gamol. c. 5. §. 16. & ſeqq.*

§. IV. Sequitur (2) quòd ejuſmodi filii ſuccedant feudis etiam regalibus, quamvis liberi æquali digni- ıte nati ſuperſint, cùm jus quoque ſuorum & legiti-

morum hæredum obtineant. Strauch. *de Jur. publ. lib. 1. tit. 32. §. 3.*

§. V. (3) Quòd nati ex tali uxore liberi utuntur privilegiis, juribus ac inſignibus illuſtrium ſind Schild-Erb-und Lehen-fähig/etſi ex alia uxore illuſtri quoque liberi extent. Myler. *Gamol. c. 5. §. 21. 22. 61. & ſeqq.*

§. VI. (4.) Quòd illi jure primogenituræ præferantur quoque aliis liberis ex poſteriore uxore illuſtri procreatis: niſi moribus vel Statutis loci, vel pactis familiæ aliud conſtitutũ fuerit. *Henr. Salmuth d. tr. quæſt. 3.*

§. VII. (5) Quod admittendi ſint ad beneficia eccleſiaſtica, niſi lex fundationis impediat, *Pac. Oſn. art. 5. §. 17.* Cùm igitur ſola lex fundationis excipiatur, ſequitur ſolis moribus effici id non poſſe, ut minùs nobiles nedum matre minùs nobili nati à beneficiis excludantur. Quin ejusmodi mores expreſſè damnantur Jure Canonico; *c. pen. X. de Præb. & dignit.* eosque inter exempla pravarum conſvetudinum numerat atq; illicitas & inefficaces, & contra omnia jura ac ritus veteris eccleſiæ eſſe tradit, idque judicio & autoritate Cameræ approbatum refert *Wehn. Obſ. Pract. voc.* Gewonheit *n. 11.* Idem de exercitiis equeſtribus. Myler. *cap. 5. §. 38. & ſeqq.*

§. VIII. (6.) Quod ipſa uxor plebeja poſt mortem mariti illuſtris, utitur juribus & privilegiis viduarum illuſtrium, uti (1) titulo, (2) foro, (3) Dotalitii jure, quod conſtituendum iisdem juribus, quibus illuſtribus Viduis ſolet, (4) Morgengabâ, quæ pari jure ei debetur: de quibus Myler. *Gamol. c. 9. c. 10. & c. 15.*

§. IX. Equidem valde obſtare videtur illuſtre exemplum Ferdinandi Auſtriaci, qui Phillippinam Velſeram Patriciam Auguſtanam duxerat, ex qua nati filii excluſi ſunt à ſucceſſione Auſtriæ. Piccar. *Deciſ. 9. Obſerv. Hiſt. Polit. c. 1.* Reſpondetur verò, ideo id factum,

quia

ia Status clam & invito patre matrimonium initum que ex legibus Germaniæ nullum eſſe cauſabantur, & hanc cauſam luculenter exponit Thuanus *Hiſt.* *71. in fin. ann. 1550.* Hinc neque uxor ipſius, etſi le-ima, neque liberi ex ea ſuſcepti tantæ ſucceſſionis ovinciarum capaces ab ordinibus habiti ſunt.

§. X. Adverſantur quoque Conſules Romani a-d Liv. *Lib. 4. cap. 1.* Verùm apparet ſatis, ſtudio cau-ea dicta fuiſſe, pleniſſimaque ineptiarum eſſe, ac ox refelluntur à Tribuno plebis Canulejo. *d. lib. 4. c.* *& ſeq.* Opponi denique iis poteſt oratio Caji Marii ud Saluſt. *de Bell. Jugurth. cap. 85.*

§. XI. Hæc omnia ſic intelligi volumus, niſi pa-s, inprimis familiæ, vel ſtatutis aut moribus aliquid mutatum fuerit. Ita in Marchia conſtitutum eſt, ne æ Nobilium impari Nubentes integram dotem ex ndo ſtatutam conſequantur, ſed partem, & quando-e nullam *Rec. Prov. 1654. §. 34. Brunn. cent. 4. dec. 46.*

§. XII. Unde Qu. Si Princeps vel Comes ducat ebejam vel nobilem, an hæc hodie gaudeat titulis lo-& inſignibus mariti? Affirm. *L. 8. ff. de Senat. ſupr. §.* *& 2. Tiraquell. de Nobil. tom. 1. cap. 18.* Strauch. *d. tit. 32.* 3. Myler. *Gamol. cap. 5. §. 12. & ſeqq.* ubi *§. 15. 16. 17.* ex-plis Principum Germaniæ id illuſtratur. Solet ta-en Maritus ab Imperatore impetrare dignitatem g. Comitivæ pro uxore & liberis, uti noſtra memoria omes de Bentheim impetravit, ut ſcilicet, quòd tan-m jure matrimonii, & repræſentatione mariti uxori mpetit, jure proprio quoque &, hereditario illa ob-iear.

§. XIII. E contrario quoque & in caſu converſo, Principis vel Comitis filia nupſerit inferiori, eâdem tione illa mariti conditionem ſequetur, non pater-

 nam:

Digitized by Google

nam: idque certo jure ita deciſum eſt, ſi plebejo & privato nupſerit. *l. 8. verſ. parentes. ff. de Senat. l. 1. C. de Dignit. Perez. C. de Dignit. num. 48.*

§. XIV. At ſi marito inferioris ſaltem dignitatis juncta fuerit, non caret res ſcrupulo. Nam quod jure civili non imminuatur his nuptias dignitas generis, deciſum videtur in *l. 1. C. de Dignitat.* etſi enim fœmina *in d. l. 1.* avum ſaltem conſularem, & patrem Prætorium Virum habuerit, qui non ſunt niſi Clariſſimi; *l. 2. de Procur. l. 1. C. Si adv. vend. l. 1. pr. C. de Tut. Illuſtr.* atque adeò non videatur nupſiſſe infra generis claritatem, quæ & ipſa Clariſſimo nupſit; tamen *generis* dignitas *in d. l. 1.* retineri dicitur. Quod & firmat *l. 10. C. de Nupt.* ubi aliud jus in filia, aliud in vidua inferiori nubente ſtatuitur: idque DD. comm. nocent. *Strauch. de Jur. Publ. lib. 1. cap. 32. §. 4. Myler. Gamol. cap. 5. §. 25. 26. 27.* etſi hujus rationes parum moveant. Quô conceſsô dicendum erit, in *l. 10. ff. de Senat.* ubi ſimpliciter dicitur, *Senatorum filias Clariſſimarum nomine non haberi niſi & Clariſſimis nuptæ ſint*, opponi Clariſſimos plebejis, quorum proximè mentio præceſſerat, vel ſaltem hactenus ei derogatum eſſe per *d. l. 10. & d. l. 1.*

§. XV. Atque hinc in Imperio quoque uſus ille inductus videtur, ut Principis filia Comiti nupta retineat titulum Sereniſſimæ: & regum filiæ non regibus nuptæ uti ſoleant formulâ, gebohrne aus Königlichen Stamm &c. quin & gebohrne Hertzogin / &c. *Springſf. de Apan. c. 3. n. 13. Myl. d. c. 5. §. 28. Strauch. d. c. 32. §. 4.* uſu enim Germaniæ ipſa nomina quidem Ducum, Principum &c. at non regum, toti familiæ, etiam minoribus filiis & fœminis communicantur: etſi quædam fœminæ reginarum quoque nomen retinuerint. *Springſf. d. c. 3. n. 9. & ſeqq. Myl. d. l.*

§. XVI.

Digitized by Google

§. XVI. Si verò Principis vel Comitis Vidua infe-
ori nubat, certo jure prioris mariti dignitatem amit-
, eamque nec moribus nec ullo jure retinet: filiæ e-
m faciliùs paterni generis quàm viduæ maritorum
gnitatem conſervant *Tiraq. d. c. 18. n. 11. 12.* Nam ex
atrimonio, quô omnia prioris veſtigia propè delen-
r, retineri nequit. *l. 13. in fin. C. de Dignit. l. 10. C. de Nupt.
§. in fin. ff. de Senat. Tiraq. d. l. Perez. d. tit. num. 55.*
d nec amiſſa ita dignitas mortuo marito ignobili-
e recuperatur. *Perez. d. tit. num. 57.* Niſi forſan à
incipe impetraverint viduæ, ut nuptæ iterum mi-
ris dignitatis viro nihilominus in priſca, quam ac-
perant à priore marito, maneant dignitate. *L. 22.
de Senat.* quamvis per raro id accidat.

§. XVII. Ex dictis ſequitur, viros non ſequi di-
itates uxorum, nec qui reginas ducunt ideo Reges
ſe, niſi lege Regni aliud obtineat, vel vir ritè Rex con-
uatur; cujus rei exempla paſſim obvia & ſatis vul-
ta ſunt: idque obtinere in regnis Hiſpaniæ, ut mari-
s Reginæ Rex ſit, contra ac in aliis regnis teſtatur
rez. *d. tit. n. 51.* Myler. *Gamolog. cap. 5. §. 30. ſeqq.*

SECTIO IV.
DE
CONCUBINATU, PRIMA CONJUGII INÆQVALIS SPECIE.

SUMMARIA.

VAriæ conjugii inæqualis ſpecies. 2. Uxor & concubina quid differant; & an ſola dignitate? 3. Concubinatuum ſpecies I. Temporarius, qui fornicationis ſpecies eſt. 4. II. petuus, qui jure civili permiſſus. 5. Ejus effectus. 6. Is ta- pro lubitu cujusque partis ſolvi potuit. 7. III. Ita perpetu- ut ſolvi niſi morte nequeat. 8. Hic tamen merus tantum concu-

concubinatus eſt, non ulla matrimonii ſpecies, & cur? 9. Ejus exempla. 10. Omnes ſpecies concubinatus illegitimæ ſunt, & quo ſenſu. 11. Hinc & liberi illegitimi &c. 12. Uſu aliquando illuſtrium filii naturales pro nobilibus habentur. 13. Non obtinent matris nobilitatem. 14. Niſi privilegio vel ſtatuto contrario. 15. Quo Jure Jacobi liberi ex concubinis fuerint legitimi. Et an naturales fiant legitimi per arrogationes. 16. Nuptiarum variæ ſpecies; ratæ &c. 17. Inæquale matrimonium ut differat à concubinatu perpetuo & inſolubili.

§. I.

CONjugii vox latius hic capitur, pro omni cohabitatione legibus non interdicta; uti & accipitur in *l. 3. C. de Nat. lib.* Quo ſenſu ſumti conjugii inæqualis, plures eſſe ſpecies posſunt, eo diligentius ſecernendæ, ut accuratè appareat, quid concubinatus ille, qui per legis civiles nomen aſſumſiſſe dicitur, *l. 3. §. 1. ff. de Concub.* ab illo, quem Canones poſtea probarunt, & hic à conjugio illo, quod ratum iisdem Canonibus dicitur; ea omnia denique à Morganatico differant.

§. II. Itaque fœminam aſſumit vir (extra fornicationes & damnatos coitus) vel concubinæ vel uxoris habendæ gratiâ: quæ eo differunt, quod uxor accipitur ut materf. in domum ac partem familiæ, omnis vitæ & divini humanique juris conſors. *l. 1. ff. de Rit. nupt.* at concubina tantùm ut libidinis vel miniſtra, vel remedium. *cap 6. cauſ. 32. quæſt. 2.* Qualis concubinatus etſi legibus impunis ſit, non tamen pro legitima conjunctione & vinculo habetur, unde nec jura conjugii inde naſcuntur, nec obligatio, ut inf. dicetur. Non itaque uxor & concubia dignitate tantùm differunt, neque id dicitur *in l. 49. §. 4. ff. de legat. 3.* ſed ipsâ juris formâ: *c. 12. d. q. 2.* nam matrimonium eſt vinculum legitimum, concubinatus illegitimum, ex illo ſolo na-

ſcitur

Digitized by Google

tur obligatio cohabitandi, *l. 1. ff. de Concub.* & compe-
at conjugii jura ac beneficia: ex hoc nulla.

§. III. Concubinarum verò tres ſpecies commo-
diſtingui posſunt: Una, cùm fœmina tantum ad
npus in Concubinatum aſſumitur: qualis concubi-
:us temporarius & diſertè ad tempus reſtrictus jure
mmuni quoque illicitus eſt. *c. 5. cauſ. 16. q. 2.* talisque
njunctio potiùs pro fornicatione quàm pro concu-
atu habetur. *Nov. 18. c. 5. Nov. 89. c. 12. §. 5.* Idem
e eſt, cùm quis plures unâ concubinas duxerit.
1. C. eod. dd. Nov. Unde hinc nati nullum planè jus
cesſionis, & ne naturalium quidem liberorum
a habent, ſed merè ſpurii ſunt. *dd. ll.*

§. IV. Altera, cùm fœmina ita in concubina-
n accipitur, ut mutuus ſit invicem non deferendi,
u m aliis non cohabitandi affectus. Atq; iſte & jure
ili licitus eſt, *l. 5. C. ad SCt. Orph. ib. licita conſuetudo tot.
ff. & C. de Concubin. Nov. 18 c. 5. Nov. 89. cap. 12. §. 4.*
ure Canonico *c. 4. c. 5. Diſt. 34. c. 12. cauſ. 32. qu. 2.* Sed
ure naturali permisſum eum esſe defendit Grot. *de
B. & P. l. 2. c. 5. §. 15.* & poſt eum D. Strauch. *ad Jus Ju-
. diſſ. 2. aph. 24. & Inſtit. Jur. publ. lib. 1. tit. 34. §. 3.*
od non admittimus.

§. V. Adeò autem toleratus fuit hic concubinatus
e Romano, ut in Concubinam adulterium quoque
nmitti potuerit: *l. 13. princ. ff. ad l. Jul. de Adult.* etſi
ncubinarius adulterium non committat. *l. 3. §. 1. ff. de
cub.* Quin & nati ex ea conjunctione liberi, etſi legiti-
non ſint, ſed naturales, tamen deficientibus legiti-
s ſuccedunt ab inteſtato in ſextantem. *d. Nov. 18. c. 5.
v. 89 d. §. 4.*

§. VI. Non tamen ex hoc Concubinatu ulla obliga-
nata eſt, ſed cuique parti ſemper pro lubitu ſuo adeò

deſerere cohabitionem liberum fuit, ut liberta quoq; à Patrono ſuo, cujus concubina fuit, eo invito diſcedere potuerit: *l. 1. princ. ff. de Concub.* etſi enim animo ſemper cohabitandi initus, nec ad tempus reſtrictus fuerit concubinatus, cùm tamen legitima non eſſet conjunctio, *ſup.* §. 2. nullum inde juris vinculum, nullaque obligatio ad cohabitandum extitit, ſed quædam quaſi precaria tantùm cohabitatio fuit.

§. VII. Tertia ſpecies eſt, cùm concubinatu hujusmodi accedit vis obligandi, ita ut ab invicem recedere non poſſint. Accedere autem illa vis poteſt ſtatutis vel moribus locorum. Sed & Canones alium non videntur agnoſcere concubinatum, quam qui usque ad mortem perſeveret, nec niſi morte ſolvatur. *c. 5. c. 6. cauſ. 31. qu. 2.*

§. VIII. Adhuc tamen conjunctio hæc merus eſt concubinatus, non verò ulla ſpecies matrimonii, ſi vir eam fœminam non affectu maritali, nec animo uxoris, ſed concubinæ habendæ ſibi jungat. Neq; verò ſufficit ad matrimonii conſtitutionem, quòd partes recedere ab invicem nequeant: ea enim vis alii quoq; conjunctioni tribui, &, ut partes ſtent pacto ſuo de non deſerenda tali conſuetudine, per leges, mores, Canones &c. induci firmarique poteſt, etſi pro matrimonio id non habeatur: ad hoc enim ampliùs inprimis requiritur, ut mulier, non ut mancipium ſaltem libidinis, ſed ut ſocia familiæ juriumque atque ut materfamilias aſſumatur: *ſup.* §. 2. id quod deſtinatione animi æſtimatur atque diſcernitur. *per l. pen. ff. de Concubin.*

§. IX. Atque hæc ſpecies concubinatus eſt, quàm Canones quoque admittunt, *ſup.* §. 4. quemque olim in utraque eccleſia uſitatum tradunt. Huc referunt Jacobi conſuetudinem cùm duabus ancillis; & Abraham i.

hamicum Agare, non cum Kethura, quæ uxoris loco fuit; *de quo inf.*

§. X. Hodie omnes hæ conjunctiones inter privatos penitus prohibitæ ſunt: & pro fornicatione habentur. Etſi autem concubinatus perpetuus olim hactenus licitus fuerit ut extra legis pœnam eſſet, & inprimis inter Principes atque ob probabiles cauſas adhuc crebrò permittatur, nunquam tamen conjunctio talis pro legitima habita fuit; cùm neque hoc agatur inter partes, ut legale matrimonii vinculum contrahant.

§. XI. Hinc nec ex poſtrema hæc concubinatùs ſpecie nati liberi legitimi ſunt, nec patrem habere intelliguntur: nedum ejus arma, titulum, inſignia, nec denique jura ſucceſſionum, agnationum &c. ſibi vendicare poſſunt. *arg. §. pen. Inſt. de Nupt. D. Strauch. Inſt. Jur. publ. lib. 1. tit. 34. §. 3.* de quo latè Myler. *Gamol. c. 23. per tot.* Equidem *Henrica Vernulia*, concubina Henrici IV. filio naturali Henrico Burbonio regnum aſſerere voluit, eoq; cauſam conſpirationi in Regem dedit, conſultis quoq; Rege Angliæ & Hiſpaniæ. Verùm ille improbavit & generosè regi eam detexit: ipſaq; Henrica alium titulum, nim. promisſionem matrimonii allegavit. *Thuan. lib. 132. ſub ann. 1604. Diſcours d' une trahiſon contre Henr. IV.* Et Wilhelmus Conquæſtor, Nothus, Rex Angliæ factus eſt, ſed belli magis jure & electione quàm ſucceſſione.

§. XII. Receptum tamen plurimorum locorum moribus eſt, ut illuſtrium liberi, naturales â paribus agniti pro nobilibus habeantur, & inſignia quoque familiæ, ſaltem pro interlineam à ſiniſtra in dextram diviſa retineant. *Tiraq. de Nobil. cap. 15. n. 25. & ſeqq. Perez. C. de dignit. num. 44. Myler. d. tr. cap. ult. §. 2. & ſeqq.* adeò ut nothi Ducis Burgundiæ titulis ſuis, quaſi honoris nomen adſcripſerint, *Baſtardi Burgundiæ. Myler. d. l. §. 1.*

d. l. §. 1. Sed & ad beneficia Eccleſiaſtica, & ordines Equitum ſacros & profanos ſæpe admiſſi ſunt: uti Henrici IV. filius naturalis Alexander ordini Melitenſi adſcriptus eſt, *Thuan. d. l.* & alia exempla affert *Myler. d. l. §. 10.* Sed moribus Germaniæ eos nobiles non eſſe, docent *Perez. d. n. 44. Myler. d. l. §. ult.*

§. XIII. E contrario, ſi matre nobili nati ſint liberi naturales, dubitari poteſt, num maternam ſaltem nobilitatem ſortiantur; cùm illi liberi matrem & matris conditionem ſequantur. *l. 19. ff. de Stat. hom. l. 2. ff. Und. cogn.* Verùm & illud meritò negat. *D. Strauch. Inſt. Jur. publ. lib. 1. tit. 32. §. 3.* Unde commune illud veriverbium, inprimis Gallorum, *Venter non nobilitat.* Myler. *Gamol. c. 5. §. 33.* cujus tamen rationes rem non conficiunt. Vera & certa ratio eſt, quòd fœmina dignitatem ac nobilitatem nec ipſe à ſe habeant, adeoque nec ad poſteros transmittant; ſed maſculorum, ſcil. filiæ patrum, nuptæ maritorum familiam dignitatem, nobilitatemque ſequantur. *ſup. ſect. 3. §. 2.* Maſculorum ergo, non fœminarum, illa dignitas ſeu nobilitas eſt, quæ ad poſteros propagatur: uti maſculorum familia eſt, quæ ad liberos transmittitur; *l. 196. §. 1. ff. de V. S.* mulier verò familiæ, eòque omnium jurium dignitatumque ei cohærentium finis eſt. *l. 195. §. fin. ff. eod.*

§. XIV. Unde ne matris quidem inſignia, nec jura ſepulcrorum familiarum materna conſequuntur: *Myler. d. c. 5. §. 34.* niſi privilegiis vel ſtatutis ſingularibus ſancitum fuerit, maternam quoque originem inſpici debere; uti *in l. 1. §. fin. ubi Goth. ff. Ad Munic.* qualia quædam hodieq; obtinent, quæ recenſet *Myl. d. c. 5. §. 35. 36.*

§. XV. Verùm hi liberi naturales non modò per legitimationes tranſire in jura liberorum poſſunt; ſed & per adoptiones *l. 6. c. de Nat. liber.* Atque hoc jure adopti-

adoptionis, non legitimationis, Jacobus filios ex ancillis natos, legitimos ſibi feciſſe videtur. *Diſſ. Tiraq. de Nobil. cap. 15. n. 23.* ea enim lege Rachel cum ancilla ſua conſuetudinem marito ſuo permiſit, ut ipſa per ancillam liberos haberet, ut dicitur *Gen. 30. v. 3.* Atque hinc & ipſa & ſoror ipſius ad quemque ancillæ ſuæ partum, jactant, ſibi natum eſſe filium. *Gen. d. c. 30. per tot.* Eadem lege & pacto Abrahamus quoque cum uxoris ſuæ ancilla. Hagare, conſuevit. *Geneſ. 16. cap. 13.*

§. XVI. Juſtinianus tamen has arrogationes naturalium prohibuit. *l. 7. C. de Nat. lib. Nov. 74. c. 3. Nov. 89. c. 11. in fin.* neque id jus reductum poſtea fuit, etſi ita videatur Gothofr. *in d. l. 7.* Quin ne moribus quidem hanc rationem jura legitimorum naturalibus tribuendi ſatis probari aſſerit *Perez. C. de Dign. in fin.*

§. XVII. Hæc hact. concubinarum genera ac jura ſunt: Uxorum ſeu nuptiarum non minus variant idq; ratione vel vinculi vel dignitatis. Ratione vinculi triplex matrimonium Canones diſtinguunt: 1. *Ratum.* cui ineſt indisſolubile vinculum, ſed legum ſolennia deſunt; uti conjugia inter Chriſtianos ſine ritu eccleſiaſtico inita. 2. *Legitimum*, cui tale viculum, non verò ſolennia juris deſunt: uti inter gentiles juxta leges ſuas inita. 3. *Ratum & legitimum*; cui neutrum deeſt, uti inter Chriſtianos cum ritibus eccleſiaſticis contracta. *c. fin cauſ. 28. qu. 1.* Verùm, cùm hæc omnia æqualia ſint, ad caput noſtræ legis ea non pertinent.

§. XVIII. Ratione dignitatis nuptiæ ſunt vel æquales; *ſup. ſect. 3.* vel inæquales; hæ ſunt, cùm mulier uxoris quidem affectu ducitur, & pro matref. habetur, ſed nec ipſa nec liberi ejus in dignitatibus ſuccedunt; Unde ſocia quidem familiæ eſt, ſed demtis dignitatibus &c. ac proinde non æquali in omnibus jure, de qua ſpecie nunc porrò agetur SECT.

Digitized by Google

SECTIO V.

DE ALTERA SPECIE CONJUGII INÆQUALIS, EX LEGE MORGANATICA CONTRACTI.

SUMMARIA.

1. Conjugium ex lege Morganatica vel Salica contractum. 2. Ejus requiſita ſunt I. Ut maritus ſit illuſtris. Et quid de Nobili: ubi nova conſtitutio Sereniſſ. Friderici III. Elect. Brand. 3. II. Uxor inferior. 4. III. Pactum ſpeciale. 5. IV. Probabilis cauſa. 6. 7. Oſtenditur tale pactum & conjugium ſolo jure naturæ non ſubſiſtere. 8. Nec jure communi. 9. An lege Morganatica potuerit introduci? Aff. 10. Exempla hujus conjugii illuſtria. 11. Oſtenditur, in 2. F. 26. §. filii: non eſſe caſum legis Morganaticæ, ſed conjugii æqualis cum pacto, ne liberi ex æquali conjugio ſuccedant. 12. 13. An tale pactum uſu firmari poſſit? Diſt. 14. Uſum talem non esſe extendendum. 15. Reſolvitur textus in 2. F. 103. 16. Et textus in 2. F. 26. §. mulier. 17. Vim conjugii Morganatici non pendere à pacto. 18. De ejus ritibus.

§. I.

ALtera itaque & famoſior ſpecies conjugii inæqualis eſt matrimonium ex lege Morganatica ſeu Salica contractum, quod occaſione prædicti concubinatus perpetui inductum videtur. Cùm enim illo perpetuus quidem, neque tamen matrimonium esſet; inventa hæc ratio eſt, ut talis fœmina in ſpeciem quandam matrimonii coire & legitima uxor fieri posſet, reciſis ſaltem dignitatis ſucceſſionumque juribus atque effectibus. Eſt ergo illudi *Conjugium inæquale legitimum cum impari perſona ea lege initum, ne ipſa & liberi ex ea naſci-*

turi

turi in dignitatibus ſuccedant, ſed certa portione contenti ſint. 2. F. 29.

§. II. Hoc conjugium ut valeat, hæc quatuor requiruntur: (1.) Ut maritus ſit perſona illuſtris de qua loquitur *d. text.* nam illuſtris dignitatis conſervandæ causâ & in ejus favorem permiſit hoc conjugium lex Morganatica. Nobiles igitur vel plebeji nuptias hujusmodi contrahere nequeunt, niſi ſpeciali permisſu Principis: quale exemplum Nobilis, indultu Serenisſ. & Potentisſ. Principis Elect. Brandenburgici plebejam decentis ad facultatem hanc Viadrinam transmisſum refert Brunnem. *de Jur. eccleſ. lib. 2. cap. 16. §. 6. in add. pag. 588.* Atque huic juri accurate reſpondet editum Serenisſ & Potentisſ. Elect. Brandenb. D. FRIDERICI III. quo nuptiis inter nobilem & plebejam initis prohibuit addi pactum ad Morganaticam, in der *renovirten Conſtitution* von Verlöbnüſſen und Ehe-Sachen / §. 13. his verbis: Nachdem auch zwiſchen Adel- und Bürger-Stands-Perſonen die Verlobung zuweilen *lege Salica* oder *ſub pacto Morganatico* abgehandelt wird / ſo ſoll daſſelbe hinführo anderer geſtalt dann mit unſerm darob geſuchten und erhaltenen *Conſens* nicht verſtattet und zugelaſſen ſeyn / und in deſſen Verbleibung dergleichen *deſponſationes & matrimonia* zwar beſtehen / *ratione conditionum adjectarum ad Morganaticam* aber keinen *effectum juris* haben.

§. III. (2.) Ut uxor ſit perſona impar & minus nobilis. *d. c. 29. verb. minus nobilem.* Si enim uxor illuſtris cum liberis ſuis excluderetur à ſucceſſione & dignitatibus, vergeret hoc in injuriam ipſius dignitatis Illuſtris; cui favere, & quam tueri inprimis ea lex voluit, non infringere vel injuriâ afficere.

§. IV. (3.) Ut tali conjugio pactum ſpeciale adjectum ſit, ne uxor & nati ex eo conjugio liberi ſuccedant,

ſed

ſed certis rebus contenti ſint: *d. c. 29. verſ. ea lege &c.* aliàs enim non obſtante impari perſonarum conditione conjugium erit æquale, & uxor etiam plebeja cum liberis adipiſcitur dignitatem mariti. *ſupr. ſect. 3.*

§. V. (4) Ut probabilis ſit ita paciſcendi cauſa, v. g. ſi habeat liberos ex conjuge illuſtri, uti in caſu *d. c. 29.* quibus veretur nimis præjudicare novis nuptiis æqualibus; cum liberi inde naſcituri inæquales portiones vocandi, vel aliàs pro dignitate ipſis & matri providendum eſſet: *d. c. 29. verb. nolens exiſtere in peccato,* neque tamen ſe continere poſſit; *d. c. 29. verb. non valens continere,* vel ſi alia gravis cauſa ſit, ut in incluto illo Friderico victorioſo Palatino; qui cùm tutor eſſet Philippi Electoris, pro tutore Elector ex pupilli conſenſu factus, nec potuit æquales nuptias facere citra præjudicium & injuriam vel pupilli ſui, vel futuræ prolis ſuæ.

§. VI. ita contractum matrimonium num jure naturæ valeat quæri poteſt? Videtur etiam abſque legis Morganaticæ præſidio valere, cùm vir & fœmina nuptias contrahentes legem contractui ſuo dicere, & fœmina juri ac favori ſuo renunciare poſſit: nec liberis qui nondum nati aut in rerum natura ſunt, injuria fieri, nec jus quæſitum, quod nondum habent, iis pacto hoc auferri videatur.

§. VII. At contrâ, hoc jure non ſubſiſtere nuptias inde primùm patet; Quoniam matrimonio ea forma à natura data eſt, ut ſit *conſortium omnis vitæ & communicatio* non quidem omnium bonorum, ſed *omnis divini humanique juris,* quod familiam ſequitur. *L. 1. ff. de rit. nupt. arg. L. 1. ff. rer. amot.* quam formam naturæ privati tollere non poſſunt. *arg. l. 27. de pact.* Deinde liberis natura debetur non tantùm ſucceſſio parentum, *Nov. 18. in præf. & cap. 1. l. 7. §. f. Und. liber. l. 15. pr. ff. de inoff. teſt.* ſed

& ali-

& alia præcipue atque inſignia quàm plurima, quæ naturâ vel lege familiæ ac generi tributa, & à majoribus quoque, non à parentibus profecta ſunt *l. 3. ff. de interd. & releg.* Hæc jura parentes liberis, etſi nondum natis auferre nequeunt; tum quia liberi deinceps nati ea non à parentibus, ſed à natura vel lege conſequuntur; tum quia contracto jam matrimonio ex ejus natura ſtatim ipſis id jus in eventum nativitatis quæſitum, & ſecuto eventu, uti loquuntur, purificatum eſt. Deniq; publici juris eſt ac publicè intereſt, familiarum, inſignium, dignitatumque ordinem & jura civibus in republica integra ſervari; *l. 1. §. ſed etſi 13. ff. de inſpic. vent.* quæ proinde privatorum arbitrio mutari non poſſunt. *L. 38. ff. de Pact.*

§. VIII. Sed nec magis jure communi valent inæquales hæ nuptiæ ex iisdem rationibus, quæ jure civili nullibi ſublatæ, ſed potiùs expreſſè paſſim confirmatæ ſunt; uti *in l. 1. ff. de Rit. nupt. l. 10. C. de nupt. Nov. 105. c. 2. pr.* Accedit, quòd contineant pactum de futura hæreditate & ſucceſſione, & liberis legitimam jure civili definitam auferant. Quibus rationibus motus, jure civili matrimonium tale non valere rectè concludit *Borcholt. de feud. cap. 7. part. 2. rubr. de Succeſſ. n. 56.* Sequitur igitur has nuptias omnem vim ſuam firmitatemque habere ex lege Morganatica vel Salica, id eſt, ex lege vel conſuetudine Longobardorum ac Francorum Diſſ. *Myler. Gamol. cap. 6. à num. 16. usque ad num. 30. ubi ex jure communi id defendere ſatagit.*

§. IX. An autem hac lege introduci potuerit hæc inæqualis matrimonii ſpecies contra rationes naturæ § 7. adductas, dubium videtur. Verùm nihil in iis eſt, quin poſitis, quæ *§. 2. & ſeqq.* explicatæ ſunt, conditionibus, lege civili conſtitui poſſit. Nam di-

D gnita-

gnitatum in republica diſtributio omnis penes civitatem ejusque Principem eſt, tanquam fontem omnis imperii, poteſtatis ac dignitatis; *Reinking. lib. 1. claſſ. 5. c. 2, n. 4. Petr. Heig. part. 1. qu. 2. num. 8.* qui proinde legem iis dicere, &, cui tribuendæ illæ ſint, ſtatuere poteſt. Sic & legitimæ definitio juris poſitivi eſt, eoque mutari ac reſtringi à poteſtate civili poteſt. Hæc verò ſunt illa de quibus lex Morganatica diſponit in his conjugiis, nimirum ne vel patris dignitas, vel integra legitima ad liberos pertineat. Denique ob utilitatem publicam lex civilis naturali quoque juri civium derogare poteſt. *l. 6. princ. ff. de Juſt. & Jur. arg. L. 41. §. 3. de Teſt. mil.* Aliter ſentit Zaſ. *d. feud. part. 8. circ. fin.* ubi ait, *pacta hæc eſſe iniqua & prava conſuetudine recepta.* Et Baldus *2. F. 26. §. filii, eam nequitiam potiùs eſſe quàm conſuetudinem*, haud veretur aſſerere. Idemque ſequitur, Nicol. Mozzius *d. Feud. tit. de Accident. feud. n. 42.* ubi ait: *conſuetudinem ſatis iniquam eſſe nec de loco ad locum extendendam.* Ut & Hotomannus hanc conventionem iniquam & juri publico contrariam vocat, propter *l. ult. ff. de ſuis & legit. juncta l. 24. ff. de pact. & l. 14. C. eod. L. 3. C. d. collat. &c.* Quod & Sangeorg. *de Feud. verſ. fin.* tradit, & tamen in loco valere conſuetudinem eam putat; quæ prorſus pugnant, nihilque magis contrarium, quam jus eſſe quod injuſtum, & rationi contrarium eſt.

§. X. Hujus conjugii illuſtria paſſim exſtant exempla. Nam memoratus Fridericus Victorioſus, Elector Palatinus, noluit filios, quos ex juſta & nobili Conjuge, Clara de Tettingen procreaverat, (unde orti ſunt hodierni Comites Lowenſteinii) ſibi ſuccedere, ſed certas iis terras bonaque aſſignavit, quibus deinde ſubſtitutus eſt Comitatus Löwenſteinius. *Aut.*

Stemm.

Stemm. Com. Low. Trith. in vit. Frid. I. Sic quoque Auguſtus Brunſvicenſis Secretarii filiam: Ferdinandus Auſtriæ Dux, Ferdinandi I. Imperatoris filius, Philippinam Welſeriam: (etſi conjugium hoc ex lege Morganatica initum fuiſſe non appareat) Georgius Fridericus Marchio Badenſis, Eliſabetham Strotziam, præfecti ſui filiam: Aribertus Princeps Anhaltinus zu Wörbitz/ Johannam, Filiam Chriſtophori de Croſegk: & Ferdinandus filius Wilhelmi Ducis Bavariæ Mariam Petembekiam hac lege uxores duxerunt. *Henr. Salmuth. d. tr. qu. 1. p. 78. Myler. d. tr. c. 6. §. 12. & ſeqq.*

§. XI. Hinc jam manifeſtum adeò eſt, textum in *2. F. 26. §. filii.* neque obſtare legi Morganaticæ in *2. F. 29.* neque continere omnium ſpeciem conjugii inæqualis, vel ad Morganaticam contracti; ſed agi ibi de conjugio æquali (cum omne conjugium ſuâ naturâ ſit æquale, donec aliud ritè appareat. *ſect. 3.*) quod ſub hac conditione contractum erat, ne filii ex illo nati patri ab inteſtato ſuccederent: adeoque pactum quidem adjectum eſt, ne liberi ſuccedant; cætera verò capita & requiſita omnia legis Morganaticæ deficiunt.

§. XII. An ergo tale pactum de non ſuccedendo nullatenus ſubſiſtit? Reſpondet Feudiſta *in d. §. filii.* ratione id improbari, ſed uſu admitti. Nam & Marchio Ferrariæ filiam Marchionis Salutiarum ea lege duxit, ne filii ejus Ferrariæ ſuccederent. *Sangeorg. de Feud. verſ. fin. n. 2.* Verùm hæc convenire non poſſunt; cùm conſuetudo irrationabilis non poſſit introduci, ſed corruptela ſit, non conſuetudo.

§. XIII. Videndum ergo, an tale pactum ita ratione improbetur, ut à poteſtate civili neutiquam probari poſſit? Et certum eſt, nulla lege vel ſtatuto in genere ſeu promiſcuè firmari poſſe pactum, ne li-

beri parentibus ſuccedant, cùm jus naturæ, quo liberis debetur ſucceſſio parentum, in univerſum aboleretur. Verùm, poſſe eſſe juſtas cauſas, ex quibus in certis caſibus conſuetudo ſeu lex excludendi liberos à parentum ſuceſſione conſtitui & probari queat, patet exemplo legis voconiæ, quâ omnes filiæ excluſæ fuêre, & non niſi certa pars hæreditatis ipſis relinqui poterat: *Bach. & Vinn. §. 1. Inſt. d. fideicomm. hered.* & militum, qui ex privilegio omnes liberos præterire poterant. *§. pen. Inſt. de Exher. lib. l. 9. & ſeqq. C. de teſt. milit.* Atque ſic juſta quoque cauſa eſſe poſſet in nonnullis caſibus admittendi conſuetudinem, ut valeant pacta nuptiis addita, ne filii ſuccedant; non verò promiſcuè: nam & Baldus *2. F. 26. §. Filii.* ita intelligit & admittit eam conſuetudinem, *cùm motivum*, ut ait, *æquitatis habet.* Eum ſequitur *Sangeorg. d. verſ. fin. num. 3.* exemplumque affert, ſi Marchio Regis filiam ducat, nec illa aliter nubere velit, quàm ut ſoli ipſius filii ſuccedant. Sic Marchionem Mantuæ filiam ſuam dediſſe filio naturali Marchionis Ferrariæ (Leonellum innuere videtur ex Stella concubina Nicolai III. natum eo pacto, ut filii ipſius cæteris excluſis ſuccederent. Sed num hoc pro juſta cauſa habendum, meritò quis ambigat; idque cauſam ingentibus turbis bellisque dediſſe innuit ipſe *Sangeorg. d. verſ. fin. n. 3.* Sed tum temporis in Italia propter abſentiam Imperii, vis magis arbitriumque potentiorum quàm jus valuit.

§. XIV. De hac itaque conſuetudine veriſſimum, eam eſſe ſtrictiſſimi juris, nec ad alia loca poſſe extendi; ut DD. comm. *in d. §. filii.* ſed valere ſaltem tale pactum in locis ubi eſt iſta conſuetudo. Qua verò in re effectus hujus pacti in *d. §. filii,* & legis Morganaticæ

naticæ ab invicem differant, & quæ lectio retinenda ſit in *d. §. filii.* id *Sect. 9.* apparebit.

§. XV. Neque movet textus in *2. F. 103.* ubi liberi prioris matrimonii excluduntur. Nam id non fit vi pacti nuptiis adjecti, ſed quia mulieri feudum contemplatione ſecundi mariti conceſſum quæſitùmque fuerat, quod perinde eſt, ac ſi ipſi marito ſecundo datum fuiſſet: quia conceſſio ei vel in ejus rem facta videtur, cujus contemplatione facta eſt. *l. ſed: etſi 22. ff. de uſufr. l. 10. §. 6. in fin. ff. de Vulg. ſubſt. L. 45. §. fin. ff. de acqu. hæred. §. 1. ubi DD. commun. Inſt. per quas perſ. cuique acqu.* Filii ergo poſterioris matrimonii hoc cauſa ſuccedunt ſoli, quaſi in ſui patris feudum.

§. XVI. Magis ob eſſe videtur textus in *2. F. 26. §. mulier.* ubi ex vulgata editione, liberi prioris; ex Cujaciana, (*lib. 4 F. 11.*) poſterioris matrimonii in feudis præferuntur. Quo utroque nihil ineptius aut falſius eſt, uti DD. communiter fatentur, & nemo ſanus negaverit, niſi reſtringatur ad caſum *§ præc.* ſeu textûs *in 2. F. 103.* quo poſito nihil intereſt, ultra lectio retineatur.

§. XVII. Ex quibus perſpicuum & diligenter obſervandum, jura & effectus hujus matrimonii non ſequi ex pacto ſolo, ſed inprimis ex ipſa qualitate & natura conjugii inæqualis, quod ſucceſſionum dignitatumque effectu veluti perpetuus concubinatus, ſed lege Morganatica licitus ac legitimus factus eſt: adeò ut conjugium hoc juſti matrimonii; & fœmina matrisfam. ac ſociæ tori & familiæ; & liberi denique legitimorum nomen qualitatemque ex eadem lege acceperint: etſi ratione ſucceſſionis & dignitatis inter hos & liberos prioris matrimonii ex pacto adjecto diſcrimen, ut dictum, intercedat.

§. XVIII. In modo ritibusque inter has & nu-

 ptias

prias pares nihil intereſt, niſi apparatuum fortè dignitate ac gradu. Solent tamen aliquando Principes & illuſtres in harum nuptiarum ſolennibus non dextrâ dextræ, ut aliàs, ſed ſiniſtrâ ſuâ uxoris dextræ junctâ copulari: unde dici ſolent hæc conjugia, zur / vel, an der lincken Hand.

SECTIO VI.
DE
EFFECTIBUS CONJUGII AD MORGANATICAM INITI: UBI DE SUCCESSIONE IN FEUDIS, &c.

SUMMARIA.

1. Liberi hac lege Morganatica plenè legitimi ſunt. 2. Quatnomina atque inſignia paterna retineant. 3. Non ſuccedunt in feudis. 4. Etſi ſint hereditaria. 5. Nec in allodio, quod familiæ, vel cui dignitas cohæret. 6. Etſi liber illuſtres non ſint, vel deceſſerint. 7. Item, etſi agnati illuſtres non ſint. 8. Nec ſuccedunt agnatis illuſtribus.

§. I.

PRonum jam erit hujus conjugii Morganatici, & alterius pacti, quod *in d. §. filii.* refertur, jura & effectus non vagis, ſed certis immotisque rationibus diſcernere. De effectibus pacti prioris vid. *inf. ſect.* 9. de legis Morganaticæ verò effectibus hic & *ſect. ſeqq.* agemus. Conſtat itaq; jam (1) Uxorem ex lege Morganatica ductam, & liberos ex ea natos eſſe pleniſſimè legitimos; quippe qui ex concubitu legibus publicis ſcil. Morganatica & Salica (*2. F. 29.*) permiſſo, probato, firmatoque geniti ſunt: *2. F. 29. verb. licet legitimi ſint.* ut conjunctio talis ob conſuetudinem receptam nullam habeat turpitudinem, ſed legibus ſit approbata. Ita filio Friderici Victorioſi Palatini ex tali conjugio nato

nato ipſe Sereniſſimus parens monumentum anno 1474. Heidelbergæ fieri, inſcribique voluit: *Fridericus de Bavaria, filius legitimus Friderici Electoris Palatini. Aut. Stemm. Leoſtein.* Et cùm Sereniſſimus Elector Palatinus, Carolus Ludovicus, Illuſtriſſimam Ruggraviam duxiſſet, paſſim illa in actis concinnè dicebatur, Ehe-formlich beygelegte.

§. II. Unde (2.) retinent tales liberi nomen & inſignia familiæ paternæ. Cùm vero Viris Illuſtribus in Imperio non ſint alia ferè familiæ, quàm ipſius Principatus ſeu ditionis nomina ac inſignia, retinere liberi iſti ea ſolent, non ut dignitatis ac principatus, ſed ut familiæ nomina atq; inſignia. Sic modo memoratus filius Friderici Victorioſi Fridericus de Bavaria; *Aut. Stemm. Leoſt.* Filius Wilhelmi Ducis Brunſvicenſis, Erneſtus von Lüneburg; Ruggrafii, Ruggraffen zu Pfaltz dicti, & hi quidem inſignibus Palatinatûs ac Bavariæ uſi ſunt. Quod hoc magis permiſſum ipſis videtur, ſi pactis Morganaticis nihil de eo ſtatutum ſit, & agnati illuſtres non contradixerint: pacto enim vel agnatis urgentibus, ratione tituli ac dignitatis conſtitui ſolet, daß Sie ſich des Fürſtl. Stands/ Nahmens/ Tituls und Wapens/ ſampt denen davon dependirenden Ehren/ Würden und Hoheiten gäntzlich äuſſern/ und einen andern gewiſſen Zunahmen haben. *Myler. Gamol. cap. 6. §. 5.*

§. III. E contrario liberi hi non ſuccedunt in feudis: *F. 29. verb. ſed nec in feudo.* quia non ſuccedunt in dignitate, quæ feudis ſuâ naturâ ineſt; illa enim militiæ causâ & pro opera in bellis ac præliis ægregiè navata, vel officiis publicis dari ſolent; quod præſertim de feudis illuſtrium, de quibus hîc agitur, certum eſt: uti de feudis regalibus ab Imperatore vel à Rege

con-

conceſſis & titulum Ducatus, Marchionatus, Comitatus & cætera id genus honoris habentibus, & quibus jura & privilegia Nobilium cohærent.

§. IV. Hujus concluſionis variæ poſſunt eſſe extenſiones & ut loquuntur, ampliationes. Nam (1) idem intelligitur quoque de feudis hereditariis, quippe quæ feudorum nomine generali comprehenduntur. Zaſ. *de Feud. part. 8. circ. fin. verſ. Denique.*

§. V. (2.) Extendendum id eſt ad allodia quæ familiæ cohærent, vel dignitatem annexam habent; uti Comitatus allodiales, (quales dari patet ex Reinking. *lib 1. claſſ. 4. c. 16. num. 24.*) quos poſſeſſor cum ſublimi territorii jure ac regali dignitate in allodium ſuum accepit; vel prædia avita, quæ vel per fideicommiſſum familiæ aut Domui alicui illuſtri conceſſa atque devincta ſunt: Stamm-Güter / ſo zur Erhaltung eines Fürſtl. Gräfl. oder Adlichen Stammes und Nahmens verordnet ſind. Knipſchild. *d. fid. famil. nob. cap. 6.* nam & illa familiis illuſtribus quaſi affixa ſunt, ad conſervandam earum dignitatem; atque adeo continentur pacto & natura conjugii ex Morganatica contracti, quo nati liberi non ſuccedunt in dignitatibus.

§. VI. (3.) Extenditur porrò hoc jus, nec liberi ad Morganaticam nati ſuccedunt, etſi liberi illuſtres nulli exiſtant, vel iterum deceſſerint. *2. F. 29. verb. etiam aliis non exiſtentibus.* cùm legis Morganaticæ & mariti illuſtris ita paciſcentis conſilium ſit, non ſolùm liberis, ſed & inprimis toti familiæ illuſtri proſpicere, idque maximè agere, ne ex inæquali & impari conjunctione nati illuſtris familiæ ejuſq; dignitatum conſortes fiant. Agnati itaque hic præferuntur, utpote qui non ſuccedunt in feudis ultimo defuncto, ſed pri-

mo

mo acquirendi; atque hinc filii ad Morganaticam à ſucceſſione & ordine deſcendentium ſemel excluſi, in illorum, qui ex providentiâ Majorum jus quæſitum habent, præjudicium admitti nequeant. *Struv. de feud. cap. 9. §. 5.*

§. VII. Unde idem erit, etſi nulli amplius agnati illuſtres ſuperſint: quia & eadem adhuc ratio eſt, & tum per pactum, tum per naturam conjugii liberi hi dignitatum iſtarum penitus incapaces, ac ſimpliciter ab iis excluſi ſunt.

§. VIII. Denique nec agnatis quidem ullis illuſtribus ſuccedunt, cùm & illæ ſucceſſiones ad jura illuſtris familiæ, a quibus excluſi ſunt, pertineant, & liberi illi minus juris habeant in ſucceſſionibus agnatorum, quam parentum, quorum ſucceſſio naturali & civili jure ipſis debebatur. Accedit, quod textus in *2. F. 29.* generaliter loquatur, *aliis non exiſtentibus;* non verò, *filiis non exiſtentibus.* Idque ita uſu obtinere, apparet ex allegatis conjugiorum talium exemplis, quibus progeniti hactenus non magis agnatis quam parentibus ſucceſſere.

SECTIO VII.

DE SUCCESSIONE IN ALLODIO SIMPLICI.

SUMMARIA.

1. Filii ad Morganaticam nati nec in privato allodio patris ſuccedunt: quod oſtenditur. 2. Si aliter fiat, ex uſu loci eſſe, non naturâ conjugii. 3. Exemplum in 2. F. 29. 4. Num exiſtente tali uſu, liberi hi ſuccedant, natis liberis illuſtri-

illuſtribus ſed iterum mortuis? Diſt. 5. Non ſuccedunt fratribus & agnatis illuſtribus: niſi aliud receptum. 6. At matri; etiam in feudis fœmineis. 7. Et inter ſe. 8. Et maternis cognatis agnatisque. 9. Idem in bonis Emphyteuticis.

§. I.

HActenus de feudis & illis allodii bonis, quæ familiæ cohærent, dignitatemque conjunctam habent. Nunc de reliquo allodio privato & libero, quod hæreditate privata patris continetur, & proprium cujusque dicitur patrimonium, quæritur. An liberi ad Morganaticam nati in eo ſuccedant? Quod regulariter negandum, idque pro regula ex his cauſis ſtatuendum: (1.) Ex tenore pacti, quo continetur, *ne uxor vel filii ejus amplius habeant de bonis patris, quam dixerit tempore ſponſaliorum: v. g. decem libras, vel quantum voluerit dare, quando eam deſponſavit. 2. F. 29.* Ex hoc itaque pacto, cum lege id valeat ac firmatum ſit, jus oritur, prout inter eos convenit, directoque ei adverſatur prætenſio hæreditatis. (2.) Ex natura & qualitate conjugii, quod quoad effectum ſucceſſionis inſtar Concubinatus eſt, etſi de cætero pro legitimo conjugio habeatur. *ſup. ſect. 5.* (3.) Ex ratione legis, cùm allodium quoque locupletius requiratur ad ſuſtentandam dignitatem illuſtrem, nimiumque familiæ illuſtri decederet, ſi tota hæreditas vel inde ſeparanda, vel cum his liberis dividenda eſſet: nam & ſolet illa tam ampla eſſe, & talibus conſtare rebus precioſis, quæ excedunt fortunam hujus conjugii.

§. II. Unde ſequitur, caſus *d. c. 29.* exceptos non eſſe ex natura hujus conjugii ad Morganaticam, ſed ex ſpeciali conſuetudine loci, v. g. Mediolanenſium, atque ideo ad alia loca non poſſe extendi.

§. III.

Digitized by Google

§. III. Ita uſu Mediolanenſium excipitur, ut liberi hi in allodium ſuccedere posſint, ſi alii non extiterint. *2. F. 29. verſ. iſti & verſ. in proprietate.* Hoc cum pacto nuptiis adjecto repugnet, adeoque non vi conjugii ejusque pacti valeat, ſed ſingulari conſvetudine contra tenorem pacti receptum ſit, alibi non obtinebit, niſi receptum probetur.

§. IV. Poſita verò tali conſuetudine, quæritur, An exiſtentibus liberis illuſtribus, ſed deinde mortuis, ſuccedant liberi ad Morganaticam nati? Negatur, niſi illuſtres ante patrem mortui ſint: nam ſi patri ſupervixerint, atq; ita ejus hæredes extiterint, deficit conditio, *liberis aliis non exiſtentibus*, ſub qua liberos iſtos conſvetudo admittit, cùm conditio illa inſpiciatur tempore mortis, ubi de ſucceſſione agitur. *L. 73. pr ff. ad L. Falcid.*

§. V. Ex quo itidem ſequitur, nec conſanguineis illuſtribus eos ſuccedere poſſe, etſi ſine prole deceſſerint, iisdemque rationibus, quin minùs quam patri, niſi hactenus quoque aliud uſu receptum ſit: uti uſu Mediolanenſium id obtinere dicitur *in 2. F. 29. in fin.* ut fratribus ſine legitima prole decedentibus ſuccedere queant. *Diſſ. Cujac. 4. F. 32. in fin.*

§. VI. At matri ſuæ omnino ſuccedunt, cui & naturales liberi ac ſpurii ſuccedunt: *l. 2. l. 8. und. cogn.* eò magis cùm mater non ſit illuſtris, *2. F. 29. verb. minus nobilem*, etſi ſupra dictum ſit filiam Marchionis Salutiarum ea lege ductam fuiſſe: non enim lege Morgan. id factum, nec exemplis res decidenda eſt, ubi lex extat. Succedunt autē matri non modò in allodio, ſed & in feudis fœmineis, etſi in his naturales non ſuccedant, *2. F. 26.*

ſ. naturales. cum ex hoc conjugio nati & legitimi ſint & horum feudorum capaces.

§. VII. Quin & inter ſe ſuccedunt, tam in feudis quam in allodio atque in omnibus bonis, cum & lex & pactum & utriusque ratio ceſſet. Cujac. *lib. 4. F. 32. in fin.* unde & concurrent in hæreditate cum fratrib9 uterinis, etſi illuſtribus. juxta *Nov. 18. cap. 3.*

§. VIII. Ita & ſuccedent maternis cognatis atq; agnatis. *d. l. 2. & 8.* An &, ſi agnati matris ſint illuſtres? Aff. in feudis fœmineis & in allodio: cum maritus hoc conjugio ejusque pacto ſuæ, non alienæ familiæ proſpexerit. Ergo mortuo fratre uterino, etſi illuſtri, concurrent cum conſanguineis, licèt illuſtribus; germano, præferentur eis; *Cuj. d. l.* conſanguineo illuſtri, excludentur *ſup. Th. 5.* Naturales vero & ſpurii maternis in ſolo allodio ſuccedant. *2. F. 26. §. Natur.*

§. IX. Quod verò de allodio diximus, idem de Emphyteuticis bonis obtinet, quæ pars allodii ſunt, nec dignitatem adjectam habent, *Mozz. de Feud. tit. de Acceſſ. feud. num. 43.* niſi ſpecialiter ſex Emphyteuſi adjecta obſtet.

Sectio VIII.

DE RELIQUO JURE SUCCESSIONUM.

SUMMARIA.

1. 2. AN parentes pactum hoc ad Morganaticam revocare poſſint? Neg. contra Mylerum. 3. Hujus rationes refelluntur. 4. An parentes ſalvo ad Morganaticam pacto, hereditatem liberis dare poſſint? Reſp. Teſtamento poſſunt. 5. Non pacto, ubi exponitur Deciſio Theſauri. 6. Res ſingulas etiam pacto. 7. An, ſi impetrato ritè conſenſu in feudis ſucce-

ſuccedant, etiam illuſtris dignitas ipſis tribuatur? Neg. 8. An pater teneatur iis legitimam relinquere? Neg. 9. Quid ſine ſextantem qùidem habeant.

§. I.

SIc diſcreto jure ſuccedendi in feudis & allodiis, dubia quædam ſupereſſe videntur; & inprimis quæritur: An parentes communi conſenſu revocare pactum & conventionem hanc ad Morganaticam posſint? Id quidem affirmant Sangeorg. *de Feud. verſ. fin. num. 5.* Mozz. *de Feud. tit. de Accident. feud. n. 44.* Myler. *Gamol. cap. 6. §. 37. 38.* Et hic quidem his perquam ineptis rationibus. (1.) Quod pactum hoc futuram filiorum ex utroque matrimonio natorum ſucceſſionem reſpiciens, ſpeciali favore liberorum ſuſtineatur, non in vim pacti, ſed. ſupremi judicii, *arg. l fin. ff. de Suis & legit.* adeoq; ceu ultima voluntas, revocabile ſit; ſicuti & pactum militis. *Antou. Theſaur. Deciſ. 225. num. 8. 9. 10.* (2.) Quòd hoc pactum tanquam collatum poſt mortem paciſcentis, cenſeatur donatio mortis cauſa, vel potius mortis cauſa capio, quæ revocabilis eſt usq; ad ultimum vitæ ſpiritum *l. 35. §. 2. ff. de mort. cauſ. donat.*

§. II. Sed contra negandum id eſſe oſtenditur (1.) Quia conditio & ſucceſſio liberorum non à pacto (quod per ſe ne quidem ſubſiſtere jure poteſt, ut dictum) ſed ex natura conjugii inæqualis & ipſa forma legis Morganaticæ dependet, quam formam ſemel conſtitutam mutare parentes nequeunt. *arg. L. 9. ff. Negot. geſt.* Nec verò (2.) poſſunt ex impari conjugio niſi impares natales eſſe, qui non ſufficiunt ad ſucceſſionem in dignitates & jura illuſtrium, propter legem Morganaticam. (3.) Pertinet hæc conditio libero-

Digitized by Google

liberorum ad ſtatum eorum, & ſtatus omnino quæſtio eſt, quales hi ſint liberi: Uti enim ex concubina nati non ſunt legitimi, ſed naturales; ita ex hoc conjugio, inter æquale & concubinatum medio, tales qui plena legitimorum jura non habent. Hæc vero ſtatum hominis afficiunt, qui non pacto ſed lege conſtituitur. *L. 4. ff. de Jur. aur. ann. tot. tit. ff. de nat. reſt.* (4.) Initio hoc conjugio liberis agnatisque illuſtribus ſtatim jus excludendi impares liberos natum & quæſitum eſt, quod auferri ipſis amplius nequit. (5.) Quia cùm duæ diſtinctæ ſint matrimoniorum ſpecies, æquale & inæquale, hoc novo pacto ſolveretur prius matrimonium nimirum inæquale, & contraheretur novum matrimonium, æquale: At matrimonium prius ſemel legitimè contractum non poteſt ſolvi ſine juſta cauſa, ut conſtat: nedum (6.) nudo pacto & privato arbitrio.

§. III. Rationes Myleri tales ſunt quales ſolent eſſe Collectanea & rhapſodica. Et verò falſum omnino eſt, quòd pactum valeat in vim ultimæ diſpoſitionis; nedum ſit mortis cauſa capio (quæ ne quidem eſt ſpecies diſpoſitionis, ſed magis conditio *l. 76. princ. ff. ad l. Falc.* Sed &, licet ita eſſet, nihil inde ſequeretur ad abolendam matrimonii ſemel ritè contracti formam, vel ad auferendum jus liberis prioris matrimonii agnatisve Illuſtribus adquiſitum: non magis enim per ultimam voluntatem quàm per actum inter vivos, vel formam matrimonii ſui abolere, vel jus quæſitum in aliorum præjudicium pater tollere aut mutare poteſt.

§. IV. Alia vero longè quæſtio eſt, an pater hactenus recedere â pacto poſſit ut, illo non obſtante, ſed

Digitized by Google

ſed ſalva qualitate conjugii Morganatici, liberi ſuccedant? Et teſtamento quidem patrem ipſis hæreditatem ſuam relinquere poſſe, non eſt ambigendum, cùm & extraneis, & aliqua parte ipſis liberis naturalibus ſeu ex concubina natis poſſit, nedum juſtæ ſoboli. Verum hanc hæreditatem liberi non capiunt jure liberorum, vel initi conjugii; ſed ex teſtamento. Quin hoc modo vis legis Morganaticæ planè non mutatur, quippe quâ tantum diſponitur de ſucceſſione ab inteſtato, non autem excluditur teſtamenti factio.

§. V. At verò pacto hæreditatem dare nequit; cum pactis hæreditas neque jure communi relinqui queat; neque vel lege Morganatica, vel alia lege aut conſuetudine generali, id mutatum ſit, ut pacto detur hæreditas; nedum ut lege excluſis detur. Equidem teſtatur Theſſaur. *Deciſ. 224. n. 8. & ſeqq.* patrem inter filios poſſe ita paciſci, ut ſinguli certas accipiant hæreditatis portiones, idque communi opinione & conſuetudine receptum, ac à ſenatu pedem Judicatum eſſe. Sed loquitur ille de patre hereditatem ſuam diſtribuente inter liberos volentes, ab inteſtato ſucceſſuros, & hæreditatis legitimæ capaces; inter quos pater jure diſtribuit ſuam hereditatem, quia hoc facto liberis non dat hæreditatem, ſed ex lege competituram dividit. *l. ult. C. fam. erc.* Atque hæc diſtributio paterna, etſi fiat inter liberos volentes, eſt tamen inſtar ultimæ voluntatis: quia non ex liberorum ſupervacuo conſenſu, ſed ex patris diſpoſitione inſtar legati vel fideicommiſſi valet. *Struv. Exerc. 32. theſ. 20.* Idque ita receptum refert *Theſſaur. d. l.* Secus autem eſt in liberis ad Morganaticam natis: his enim cùm non competat here-

ditas

ditas ab inteſtato, pater hoc pacto iis non diſtribueret ſed daret hæreditatem, quod jure fieri nequit, quæ Mylerus parum expendit.

§. VI. Cæterum res ſingulas patrem pacto, ſcilicet donatione inter vivos vel mortis cauſa, nedum per legata &c. eis concedere poſſe, dubium non eſt. Quodſi tamen bona de quibus pater ſine conſenſu agnatorum vel domini diſponere nequit, eis reliquerit, vel donaverit, conſtat, niſi impetrato horum conſenſu nihil actum videri.

§. VII. An itaque liberis iſtis, qui accedente conſenſu agnatorum & domini ſuccedunt in feudis &c. etiam dignitas illuſtris, &, quibus illa inhæret, feuda regalia competunt, v. g. Comitatus, Principatus? Neg. niſi in ſpecie Imperator hoc jus ex conſenſu agnatorum eis tribuerit. Eſt equidem Dominus directus horum feudorum Imperator; verùm de ejus mente, non de poteſtate quæritur. Non itaque ex nudo & generali ad ſuccedendum conſenſu infertur vel tribuitur illuſtris dignitas, ſed ſpeciali diſpoſitione & conceſſione opus eſt, *arg. l. 15. §. 26. ff. de Injur.* & intelligitur conſenſus præſtitis præſtandis.

§. VIII. Sed anne ſaltem pater tenetur his liberis legitimam relinquere? Neg. etſi legitima facto patris minui nequeat, & gravamen omne ipſo jure detrahatur ac pro non adjecto habeatur. *l. 32. C. de Inofficioſ. teſt.* Quoniam hi, ut ſæpe dictum, inter liberos quoad hæreditatem non computantur. Quin & lege Voconia interdictum vidimus, ne quis filiam etſi ſola eſſet, hæredem faceret. Atque ita hodieque primogenitura, recepta, in pluribus adhuc familiis illuſtribus neque fratribus minoribus,

tribus, neque filiabus legitima debetur; ſed illi apanagio, hæ dote contentæ ſint oportet.

§. IX. Quid ſi verò portio his liberis tributa tam ſit exigua intuitu bonorum paternorum, ut nec ſextantem æquet, quem naturales liberi capiunt? Reſp. non tamen plus petere poſſunt; Nam neque naturales capiunt ſextantem, niſi cùm legitimi non ſunt, vel pater aliud teſtamento vel inter vivos non ſtatuit: ille enim hunc ſextantem vel auferre poteſt vel minuere; aut portio pacto Morganatico conſtituta minui nequit; cùm ex pactis, quod lege valet ac confirmatum eſt, jus liberis quæſitum ſit.

SECTIO IX.

DE

SUCCESSIONE ex 2. F. 26. §. Filii.

SUMMARIA.

1. IN 2. F. 26. §. filii. non agi de ſpecie legis Morganaticæ, ſed conjugio æquali. 2. Triplex ejus lectio. 3. Media receptior. 4. D. Struvii explicatio refellitur. 5. Textum ejusque rationem ex utraque lectione ſalvari poſſe, & quomodo? 6. Media ſeu negativa tamen præferenda videtur, & cur? 7. Differentiæ IV. hujus pacti & legis Morganaticæ. I. Filii ex hoc pacto fratribus cognatisque ſuccedunt. 8. II. Etiam patri aliis non exiſtentibus. 9. III. Præferuntur agnatis illuſtribus. 10. IV. Succedunt in allodio promiſcuè. 11. Cujaciana lectio cur planè rejicienda.

§. I.

A pacto legis Morganaticæ longè diſtat pactum, quod refertur *in 2. F. 26. §. Filii.* neque ibi de conjugio inæquali & ad Morganaticam inito agi-

 tur,

tur, ſed de æquali & integro: nihil enim in *d. §. filii.* de impari conditione conjugum; nihil de prioribus nuptiis cum illuſtri conjuge; nec de probabili aliqua cauſa &c. ſed tantùm de pacto, *ne liberi patri ab inteſtato ſuccedant*, conjugio adjecto dicitur: voce autem conjugii ſimpliciter poſita intelligitur æquale, & cenſetur illud ex communi conjugiorum natura; quæ genuinâ ſuâ indole ſunt æqualia, quoad aliud probetur. *Sect. 3.*

§. II. Hoc igitur pactum conjugio æquali adjectum ſi uſu loci receptum ſit, (nam in genere id non valere nec introduci poſſe dictum ex *ſect. 5.*) quid operetur videamus? Deciſio ex varia lectione *d. §. filii.* maximè ambigua eſt. Lectio enim vulgata eſt: *filii in feudo ſuccedunt.* Alii dicunt addendam particulam *non*, & legendum, *in feudo non ſuccedunt.* Cujacius è veteri Codice legit, *nec in feudo ſuccedunt. lib. 4. F. 16.*

§. III. Media autem lectio cum negativa communiter præfertur, quam & ipſe Cujacius *d. l.* probat ſuoque codici præfert, & ita in ſcriptis liberis legi notat: Imò & antiquos Interpretes textum non aliter quàm negativè legiſſe patet ex *Gl. & DD. ad d. §. filii.* Roſenth. *de Feud. cap. 7. concluſ. 16. lit. K.* Bitſch. *Comment. ad d. §. filii.* quam proinde ſequi tutius eſt.

§. IV. Vulgatam lectionem tuetur D. Struv. *in Synt. Jur. Feud. cap. 6. §. 5.* ejusque explicatio eò redit: Si ex verbis pacti conſtet, filios ab omni, etiam feudali ſucceſſione excludi, nec in feudo ſuccedunt: *2. F. 20.* ſi id non conſtet, ſuccedunt in feudo, *d. §. filii.* cùm hoc pactum in dubio ſtrictè ſit intelligendum, & ad feudalem ſucceſſionem, quæ non tam à parente, quàm à primo acquirente defertur, non extendendum

dum, niſi appareat ex verbis patris, eum etiam de feudis locutum fuiſſe. Verum & mera hæc divinatio eſt, in neutro textu fundata; & nulla foret dubitandi ratio, ſed quæſtio Domitiana; nec denique difficultatem id expedit: id enim quæritur, cur ex eodem pacto liberi *in d. §. filii.* magis ſuccedant in feudo quàm in allodio: & contrà *in d. t. 29.* magis in allodio quam in feudo.

§. V. Nos jam docuimus, in *d. §. filii.* planè de caſu legis Morganaticæ non agi, ſed de nuptiis æqualibus: quo ipſo tollitur omnis inter utrumq; textum diſſenſio. At de lectione *d. §. filii* nondum conſtat. Dicimus verò ex utraque lectione textûs ſenſum rationemque ſubjectam ſalvari poſſe: ſive enim ex pacto, *ne liberi ſuccedant*, inferatur, eos tamen ſuccedere in feudo, etſi non allodio, ratio manifeſta erit, quia liberi pacto parentum à feudis excludi non poſſunt, quæ non à patre ſed à majoribus habent; adeoq; ratione feudorum pactio iſta nulla eſt. Sive contrà, ex eo inferatur, filios non ſuccedere in feudo, etſi in allodio, pactio hæc ejusq; conſuetudo favore familiarum, eâdemque adeò hactenus ratione, quâ lex Morganatica nititur.

§. VI. Quænam ergo eligenda è duabus (nam Cujaciana, quod liberi ex *d. §. filii.* nec in feudo nec in allodio ſuccedant, penitus reſpuenda eſt, *inf. §. 11.*) lectio & ſententia videtur? Nos poſteriorem ſeu negativam, quàm & receptiorem diximus §. 3. hic præferimus, ut in allodio quidem, at non in feudo ſuccedant inprimis ideò, quod hujusmodi pacta de non ſuccedendo propter feuda illuſtria adjici ſoleant, non propter allodium privatum; atque in eo vertitur utilitas illa publica, quæ hæc pacta admittit, ne feu-

Digitized by Google

da Principatusq; dividantur, non verò ne bona privata. Et poteſt eſſe cauſa probabilis, quæ pactum, quo liberi à feudis & Principatibus excluduntur, admittat vel à ſumma ſaltem injuſtitia excuſet; at nulla, quæ defendere pactum poſſit, quo liberi ex juſto integroque matrimonio nati â bonis privatis parentum excluduntur. Et in omnibus exemplis, quæ in Longobardia extant, & ad quæ reſpexiſſe Feudiſta videri poteſt, actum fuit de excludendis liberis â Principatum & feudis, non ab allodio.

§. VII. Vi itaque hujus pacti liberi non ſuccedunt patri in feudo, *d. §. filii.* & hactenus, ei convenit cum lege Morganatica; ſed in aliis longè differunt. Nam (1.) dicendum videtur, hos liberos non obſtante pacto ſuccedere fratribus omnibusque reliquis cognatis in feudis, quæ aliunde quàm à patre habent, perinde ac ſi pactum adjectum non eſſet; quia pacto illo recepto tantum continetur, ne patri ſuccedant. *d. §. filii. verb. nec patre ſuccedant.* Hæc itaque excluſio liberorum ex integro plenoque conjugio natorum ſtrictisſimè intelligi, nec ultra tenorem pacti uſu recepti extendi debet: ſecus ac in lege Morganatica, ubi inæqualitas conjugii & dignitatis ſemper obſtat.

§. VIII. Sequitur (2.) patri eos quoque in feudo ſuccedere poſſe, ſi liberi alii non ſint, vel iterum deceſſerint. Nam cùm hæc pacta non aliter à DD. admittantur, quàm ſi habeant, ut loqvuntur, motivum æquitatis, *ſupr. Sect. 5. §. 13.* illud verò reſpiciat reliquos liberos qui ſoli ſucceſſuri ſunt, corruit his defunctis vel non exiſtentibus tota illa æquitas omnisq; cauſa movens, quæ ſola pactum hoc ſuſtinet. Nam jam prætexi non poteſt favor illuſtris familiæ ac dignitatis

tis

tis, ut in lege Morganatica, cùm omnes liberi ex pari conjugio nati æquè ſint illuſtres; & adeò, licèt verba pacti generalia ſint, *ne patri ſuccedant*, neque tamen illa ſalvo jure & æquitate intelligi poſſunt, neque â patre intellecta videntur, niſi de caſu exiſtentium liberorum, quorum favore pactum additur & uſu ſuſtinetur.

§. IX. Quibus rationibus moti, nec dubitamus (3.) hos liberos in ipſius Patris ſucceſſione præferre quoque agnatis. Neque verò intuitu agnatorum & familiæ illuſtris pactum hoc additur, cùm liberi ſint æquè illuſtres: neq; credi poteſt patrem propriis ſuis liberis illuſtribus agnatos, & ſuis extraneos præferre voluiſſe, *l. 30. C. de fideic. L. 102. ff. de Cond. & demonſt.* Quæ omnia ſecus ſunt in natis ad Morganaticam, ubi conſervatio dignitatis & familiæ illuſtris præponderat.

§. X. Porrò (4.) ab allodio ſeu proprietate hi liberi neutiquam, etiam exiſtentibus aliis excluduntur, ſed concurrunt æqualiter cum reliquis non obſtante pacto: quippe quod tantùm receptum eſt in feudorum ſucceſſione; & in allodio recipi citra aliqvam injuſtitiam non poteſt. Idque probatur ex *d. § filii.* quo unicus tantùm tribuitur huic pacto effectus, *ne in feudo ſuccedant*, quod proinde, inprimis in re odioſa, & quàm ipſe Feudiſta à ratione alieniorem fatetur, extendi non debet.

§. XI. Unde patet etiam, lectionem Cujaciani Codicis, *nec in feudum ſuccedunt*, falſum & meritò ab ipſo Cujacio rectam eſſe: innuunt enim hæc verba, quod multò minùs filii ſuccederent in bonis propriis: prout etiam Alvarottus ea intellexit, & hac vitioſa lectione

ſtione deceptus ab allodio quoque hos filios excludi ſtatuit. Sic ergo inprimis hic differt hoc pactum à Conjugio ad Morganaticam contracto, quippe quod concubinatus fere tantùm effectum in ſucceſſionibus retinet, aliàs legitimum eſt, ut ſuprà oſtendimus.

SECTIO X.

DE AFFINIBUS & CONTRARIIS.

SUMMARIA.

1. Conjugium Abrahami cum Kethura proximum fuit Morganatico. 2. An ratio dignitatis illuſtris defuerit: Nobilitas generis à natura non eſt. 3. Jure gentium ſecund. nulla generis differentia, niſi inter liberos & ſervos. 4. Triplex à natura Dignitas ac nobilitas. 5. In Abrahami conjugio cum Sara ſimile quid fuit illuſtri dignitati, quin amplius. 6. Secundæ nuptiæ apud Brabantos. 7. Item Montenſes & Juliacenſes. 8. Et Burgundiones. 9. Conjugium ad Thalac æquale fuit. Notatur Argentinenſis. 10. Contraria conjugio ad Morg. 11. An hoc tollatur reſtitutione Natalium? 12. An remiſſione pacti adjecti &c.

§. *I.*

AFfinia Conjugio Morganatico ſunt (1) Conjugium Abrahami cum Kethura *Geneſ. 25. verſ. 1.* quod equidem proximum Morganatico fuit, omniaque ferè requiſita legis Morganaticæ habuit. Nam mortua uxore Sacra pro legitima uxore ſibi aſſociavit Kethuram, ſed filiis ex ea natis, licèt legitimis, eodem modo ac filio naturâli ex ancilla Hagare, munera dedit. *Diſſ. D. Strauch. ad Jus Juſtin. Diſſ. XI. Aph. 30.*

§. II. Equidem defuiſſe videtur illuſtris dignitas, quam requiſivimus *ſect. 5. §. 2.* nondum enim tum generi ac familiæ tributa fuit ulla, nedum Illuſtris dignitas, vel ulla Nobilitas, ſed omnes homines & familiæ ſecundum legem naturæ æquales adhuc erant, &, uti ab initio humani generis, omnium hominum una qualitas. unus ſtatus. *L. 32. de. Reg. Jur.* Etſi enim jam tum Reges quoq; & horum miniſtri in quibusdam

dam terris fuerint, horum tamen dignitas perſonæ & officio nondum generi cohæſit.

§. III. Neque equidem jure gentium ſecundario alia ulla generis differentia facta eſt, quàm quòd ſervitute è bellis ortâ, triplex hominum genus eſſe cœperit, & alii liberi, alii ſervi, alii libertini dicti fuerint. *princ. Inſt. de libertin. L. 4. de Juſt. & Jur.*

§. IV. Omnis verò dignitas, prout à natura quoque ea conſtituta eſt, triplex erat: (1.) Patria poteſtas, cui familia ſubjecta eſt, & ſumma reverentia natura debetur; unde patresfamil. Principes domus ac familiæ ſuæ paſſim in ſacris dicuntur. (2.) Poteſtas gubernandi rempublicam, id eſt, tuendi juſtitiam, uti Regnum, Principum aliorumque quia officia publica in ſacris ſeu ſecularibus gerunt: nam & illa ſacroſancta, & poſt DEUM maximè venerabilis, atque cum dignitate præluſtri inprimis conjuncta eſt. Nec ulla re inter homines magis opus fuit, quàm ſumma illa poteſtate quæ poſſet adigere homines ad juris reparationem, & cogere eos, qui ultra ſuum quid habent, ut reſtituant: quam adeo poteſtatem ab ipſo jure Naturæ conſtitutam eſſe apparet. (3.) Virtus ac merita: Juxta Juven. *Sat. 8. Lib. 3.*

Nobilitas vera eſt atque unica virtus.

Nec vero ulla ſocietas poteſt conſervari niſi per munera & officia reipublicæ, hæc verò non competunt, niſi iis qui capaces & honeſtare conſpicui ſunt.

§. V. Etſi autem plane hæc ita ſint, tamen ſimile, imò amplius quid erat in familia Abrahami per Iſaacum propaganda, quâ, quod maximum omnium eſt, procreanda erat ſalus orbi & gentibus. Erat igitur maritus non meritis modo & officio ſuo ſacro, ſed & hac imprimis repræſentatione ſatis illuſtris; Uxor autem altera ejus promiſſionis non particeps, adeoque minus digna; porrò juſta ſatis cauſa ratione Iſaaci. *Gen. c. 17. v. 19. 21. & 21 v. 12*: Deniq; liberi Kethuræ non fuêre patris hæredes: quæ ſunt ipſa capita legis Morganaticæ.

§. VI. (II.) Secundæ nuptiæ apud Brabantos, & quibus

nati

Digitized by Google

nati excluduntur à proprietate rerum, quæ exſtabant cùm matrimonium prius ſolveretur; eaque acquiritur ſolis prioris matrimonii liberis. Grot. *de J. B. & P. lib. 2. cap. 7. §. 8.*

§. VII. Ita extat conſuetudo in Ducatu Montenſi & Juliacenſi, ut liberi prioris matrimonii in feudis antiquis à patre devolutis ſoli ſuccedant. Roſenth. *d. Feud. cap. 7. concl. 26. n. 9.*

§. VIII. (III.) Apud Burgundiones quoque veteres pater dividebat cum liberis prioris matrimonii, & in partem, quam ex diviſione accepit, ſuccedebant liberi poſterioris matrimonii. *LL. Burg. tit. 1.* §. 2. quod tamen à conjugii qualitate non eſt, & ſunt hodieque quorundam locorum mores, qui non multum inde abludunt.

§. IX. Minùs huc pertinet Conjugium Orientalium ad Thalac, cujus meminit Salmuth *Reſp. pro virg. nob. pag. 157.* & arbitrio mariti dirimi poſſe ait; nam talia fuêre omnia quoq; Hebræorum conjugia æqualia. Nedum jus illud Morganaticum apud Argentin. *Chron. ad ann. 1300. & 1303.* quod ille vitio ævi accipit pro ipſo jure dotis, quam pater, non maritus, dederat, idque nuptiis paribus.

§. X. Contraria verò inprimis ſunt tum conjugia æqualia, tum concubinatus, etiam perpetui, qui quidem apud Hebræos liciti & frequentes, at liberi illegitimi fuêre: Uti Abrahami cum Hagare, Jacobi cum duabus ancillis (de harum tamen liberis vid. *ſect. 4.* §. *ult.*) Davidis & Salomonis &c.

§. XI. Non poteſt autem conjugium Morganaticum ſolvi, niſi ex cauſis quibus & integra conjugia poſſunt. Sed an deſinat Conjugium Morganaticum & inæquale, ſi Princeps liberos plenis natalibus & dignitati paternæ reſtituat? Neg. quia id jus non ex nuptiis habent, ſed ex conceſſione Principis.

§. XII. Idemq; eſt, etſi conſenſu parentum, agnatorum ac domini remittatur pactum nuptiis adjectum, & liberi autoritate Imperatoris recipiantur in jura dignitatis & ſucceſſionis paternæ. Nam omnia conſeqvuntur non jure conjugii & natalium, ſed acquirunt, partim ex mutuis pacti & conventionibus, partim beneficio Principis.

FINIS.

ANT 1318.157